

J. Wang, pré-agrégatifs avancés, 2019-2020  
À rendre pour le mardi 17 septembre 2019 (1<sup>er</sup> cours)

### Version latine n°1 : L'adultère cocu

Semper, ut inducar, blandos offers mihi uultus,  
post tamen es misero tristis et asper, Amor.  
Quid tibi saeuitiae mecum est ? an gloria magna est  
insidias homini composuisse deum ?  
Nam mihi tenduntur casses : iam Delia furtim  
nescio quem tacita callida nocte fouet.  
Illa quidem iurata negat, sed credere durum est :  
sic etiam de me pernegat usque uiro.  
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto  
custodes : heu ! heu ! nunc premor arte mea.  
Fingere tunc didicit causas ut sola cubaret,  
cardine tunc tacito uertere posse fores ;  
tunc succos herbasque dedi, quis liuor abiret,  
quem facit impresso mutua dente Venus.  
At tu, fallacis coniunx incaute puellae,  
me quoque seruato, peccet ut illa nihil ;  
neu iuuenes celebret multo sermone, caueto,  
neue cubet laxo pectus aperta sinu,  
neu te decipiat nutu, digitoque liquorem  
ne trahat et mensae ducat in orbe notas.  
Exibit quam saepe, time, seu uisere dicet  
sacra Bonae maribus non adeunda Deae.  
At mihi si credas, illam sequar unus ad aras :  
tunc mihi non oculis sit timuisse meis.  
Saepe, uelut gemmas eius signumue probarem,  
per causam memini me tetigisse manum :  
saepe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam  
sobria supposita pocula uictor aqua.  
[Non ego te laesi prudens : ignosce fatenti ;  
iussit Amor : contra quis ferat arma deos ?  
Ille ego sum, nec me iam dicere uera pudebit,  
latrabat tota cui tua nocte canis.  
Quid tenera tibi coniuge opus ? Tua si bona nescis  
seruare, frustra clauis inest foribus.  
Te tenet, absentes alios suspirat amores  
et simulat subito condoluisse caput.  
At mihi seruandam credas : non saeuia recuso  
uerbera, detrecto non ego uincla pedum.]

Tibulle